

1589 tudini ac potentiae aditum sterneret. His tot incommodis vestra prudentia, vestris consultis, Patres, obstitistis, immimentia pericula prospexistis, quantum in vobis erat, opportuna tot malis remedia adhibuistis, æternum vobis Galliae regnum, atque Henricum III. devinxistis; qui nullo unquam tempore, nullis casibus eximium hoc Reipublicae vestrae beneficium oblivioni mandabit; quandocumque se dabit occasio omnes vires, conatus in ea ornanda atque amplificanda collaturus. Haud multos post dies Joannis Mocenici e Turonibus literæ supervenere: Henrico eam urbem ingresso literas Senatus exhibuisse, gratulationisque munus obivisse: Regem perhumaniter illum complexum: quod inter Italos Principes prima Respublica se Regem consalutasset, ingentes Senatui habere gratias; perpetuo ob tam insigne beneficium Reipublicae devinctum fore; mutuam illi gratiam repensurum affirmasse: decimo quoque octavo kal. septembris a Noilio Regis literæ allatae, quibus Henrici III. casum, regni successionem, egregium in Rempublicam studium significabat.

Henrici
IV. literæ
ad Venetos.
Cajetanum
Cardinalis
loco Mauro-
roceni le-
gatus in
Galliam
mittitur.

Pontifex cum diu de præsentis reipublicae christianae statu, deque Galliae rebus consulisset, tandem, Joanne Francisco Mauroceno, legato, in Italiam evocato, Cajetanum Cardinalem suffecit. Ubique locorum præcipue Romæ apud Pontificem ab iis, qui foederi studebant, rebusque inde novis, legati nomen inique lacerabatur, quod tot tantisque honoribus una in illum congestis, ex Episcopo Brixiano prius in Gallia Nuntius, inde simul Cardinalis creatus, atque etiam Legatus, quod nulli memorabatur antea contigisse, non satis æquam & dignam gratiam rependisset; segniterque admodum, ut jactabant, & sincere parum in obeundo suo munere versatus, ecclesiasticæ auctoritatis aciem permisisset hebescere. Quare, calumniis obtrectatorum in dies gliscentibus, nonnulli auctores legato ex amicis erant, ne temere se irati Pontificis potestati committeret. Ad quos ejusdem hæc vox sæpe fuit audita: *Malle se gloriose perire, quam turpiter vivere.* Nam vir excelsi fortisque animi, & acerrimi ingenii, rerum præterea gerendarum usu magno præditus, quippe diu senatoriis muneribus perfunctus in patria, & obitis legationibus maximis insignis, præclara tandem conscientia ac innocentia tutus,

futu-